

Berchtold Haller¹⁾ an Vadian.

Bern. 1529. Februar 9.

Vadians erfolglose Empfehlung eines Chirurgen für die Stadt Bern. Mahnung zur Besonnenheit im Vorgehen gegen den Abt, um nicht den Feinden eine Handhabe zu bieten. Eine Schmähschrift des Johannes Eck über die Berner Disputation. Gute Berichte aus Basel und Strassburg, das durch kaiserliche Gesandte an der Abschaffung der Messe verhindert wurde. Der Verrat in Cur. Bevorstehender Tag in Luzern. Abschaffung der Messe im Gebiete von Bern. Grüsse.

S. Perdidit bonus ille vir, quem tantopere commendaveras, charissime I o a c h i m e, et operam et impensas; nam fratri in hac provincia iamdudum alius, illi probe cognitus, successerat. Nihilominus ubi olim urbs nostra tali chirurgo^{a)} caruerit, te monebo, quandoquidem illi prodesse desideras^{a)}. Ceterum^{b)} quę de reliquiis et fæce^{c)} abominationum scribis in urbe vestra, placent; modo negotium^{d)} sic agatur, ne abbas^{e)} conqueri unquam possit, se, scilicet inermem monachum, cum suis violentia vel vestra vel civitatum iunctarum a fide sua avulsum. Derogaret siquidem dei glorię apud exteros et adderetur ansa maior calumniandi adversariis; nam E c c i u s ille impudentissimus (taceo portenta M u r n e r i) omnia diligentissime colligit, quibus partes nostras universo orbi traducat. Scripsit triginta paginas contra conventum nostrum, cui tu præeras, nec tui oblitus. Doctos et pios quosque ita scommatis et ronchis offundit, ut in homine uno tantum iniuriarum vix credidissem. Sebastianus O e c o n o m u s illi paucissimis respondet. Ad fæcem monachi vestri redeo. Nihil omittam in persuadendis bonis viris et primariis urbis nostrę, modo omnia sub silentio maneant abscondita, ne, quod prætendimus, ille verutiis suis præveniat. Ab O e c o l a m p a d i o hac hora accipio bonam spem de Basiliensibus, item ab Argentinensibus, qui iam extreme spei erant, missam missam facere; sed intercipiunt spem legati Cęsarei atque tantum possunt, ut post comitia Spirensia missa illa misera vivat. Urgent interim contionatores exemplo nostro tam privatim quam publice. Proditionem Curiensium et omnia, ut illic acta sunt, vellem te ad unguem depinxisse; nam varia referuntur a variis apud^{f)} nos, nisi T i l m a n n u s, qui hoc vesperi a comitiis Badensibus rediit, certiora adferat. Ad feriam secundam post Dominicam Oculi indictus est dies Tigurinis et Bernatibus, quo iure convenire moliuntur Lucernę Murnerum. Ceterum accesserunt urbi nostrę, quoad fœdera^{g)} servanda, Friburgenses et Sa-

iodorenses; speramus etiam evangelii nostri participes fore. In tota ditione^{h)} nostra missa abrogata est. Utinam e cordibus omnium avulsa esset! Nulla sunt apud^{f)} nos, quę vos scire referat. Salutant vos confratres mei et primates. Salvus sit Dominicus Zilinus, Iuvlinus, Cristannus et ceteri^{o)}. Vale. Bernę, nona Februarii, anno MDXXIX.

Tuus ex animo Bertoldus Hallerus.

Prudentissimo viro Ioachimo Vadiano, apud Sanctogallenses consuli, suo maiori in domino summe observando.

a) „y“ für „i“. — b) „e“ für „e“. — c) „e“ für „e“. — d) „c“ für „t“. — e) „abas“. — f) „apud“. — g) „fœd.“. — h) „t“ für „c“.

l) Vgl. III, Brief 434.

Ulrich Zwingli¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1529. Februar 17.

Unterhalt der Mönche. Verweisung für weitere Berichte, insbesondere über verräterische Machenschaften im Rheintal, auf die zwei Überbringer.

Gratiam et pacem a domino. Huic legationi nostrę de concordando super alimento monachorum nihil commendatum est — ea enim res tunc recte tractabitur, cum abbas^{a)} ad inferos superos abierit —, at de abolendis imaginibus et ceteris^{b)}, quę ipsi plane exponent atque vestro tum consilio, tum auxilio utentur. Röstius omnino cum προβουλευταις summam illis pollicetur liberalitatem, si ille ad eternam noctem dormiendum abierit. Proximo tabellioni verbum scribere non quivi. Quę in Valle Rheni proditorie concinnata constabit, his potes credere. Ambo integri sunt, at magis prudens corpore quoque maior; quamvis recens sit curię laniorum magister factus. Dici nequit, quam constans ac vere nobile pectus circumferat. Quod soletis, vigilate, quod nos perinde faciemus, et bene valete, dum interim abbas^{a)} meo iudicio recte valeat, melius tamen valiturus, si animam posset exhalare. Salvos iube Marium ac dominos et fratres omnes. Tiguri, 17. die Februarii 1529.

Cetera^{b)} narrabit sororius meus, ille ex legatis senior ac imbecillior, quomodo scilicet prefectura Gastal constanter responderit Svitensibus.

Huldrych Zwinglius, tuus per omnia.

Herren burgermeister von Watt, synem lieben herren.

a) „abas“. — b) „cēt“.

l) Vgl. I, Brief 100.